

Varietas salium
terræ debetur,

tatis caloris, lucis primaria causa, originem suam habet ab ipso Sole, qui quasi mare abundantissimum est salis hujus ætherei simplicioris ac solidioris. Hoc itaque Sal varie motum, modificatum, varieque concentratum, pro diversitate terræ ratione extensionis & figuræ ejusque superficie variis producit species Salium. Statuendum itaque esse videtur omnem salium varietatem dependere à varia admixta terra, utpote hæc & varius ejus mechanicus situs illius salis ætherei nimium progressum retardare, illius spicula in viscere, inflectere, ac ordine hoc illòve disponere potest, adeo, ut particule istæ æthereæ salinæ terreis junctæ non aliter ac acies pungentes, differenti nexu, & ordine dispositæ, in suis quasi manubriis, & cellulis longius, latius, aut declivius sitis, diversæ actionis & penetrationis instrumenta proferant mechanica. Prout itaque sal hoc æthereum in majori vel minori copia terræ, ratione molis figuræ ac situs diversæ, vario situ & ordine mixtum est, exurgit vel sal volatile, vel fixum, vel sal alcali, vel sal falsum, acidum, acre, &c.

Experimenta
quædam, quibus hæc de Salibus doctrina innititur, in generatione Nitri & Aluminis conspicua,

§. XVI. Hujus jam dictæ hypotheseos veritas ut eò clarius emergat, ac eniteat, experimentis, rationibus innixis, totam rem illustrabimus. Notum est, Salium actiones, & effectus dependere à solo motu, dum nimirum scindunt, pungunt, dividunt, & discontinuant corpora illorumque particulas; quæ effecta sine motu fieri nequeunt. Motus autem essentia consistit in pressura obviarum superficierum, quas atterendo dividit, & in varias figuras ac formas reducit. Jam autem omnis motus, qui in tota rerum natura celebratur, deberi circulationi ætheris videtur circa & per globum nostrum